

artis honestas divitias, postremo omnia honestamenta
pacis et praemia belli. pro iis amplissimis beneficiis 3
non flagitium a te neque malum facinus petimus, sed
utei libertatem eversam restituas. qua re patrata pro- 4
fecto per gentes omnes fama virtutis tuae volitabit. 5
namque hac tempestate tametsi domi militiaeque prae- 5
clara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris
fortibus aequalis est. si vero urbem amplissimo no-
mine et maximo imperio prope iam ab occasu resti-
tueris, quis te clarior, quis maior in terris fuerit? quippe 6
si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, cui 11
dubium est quin per orbem terrarum vastitas bella
caedes oriantur? quodsi tibi bona lubido fuerit patriae
parentibusque gratificandi, posteroque tempore re pu-
blica restituta super omnes mortales gloriam agitabis 15
tuaque unius mors vita clarior erit. nam vivos inter- 7
dum fortuna, saepe invidia fatigat: ubi anima naturae
cessit, demptis optrectatoribus, ipsa se virtus magis
magisque extollit.

Quae mihi utilissima factu visa sunt quaeque tibi 8
usui fore credidi, quam paucissimis potui perscripsi. 21
ceterum deos immortales optestor ut, quocumque modo
ages, ea res tibi reiue publicae prospere eveniat.